

320.

Q. R. B. V.

De

36  
4662 18<sup>m</sup>  
20

# SUITATE,

Disputationem Juridicam  
Consensu Nobilissimi & Amplissimi Electorum Ordinis  
in Illustri Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Magnifici Dn. Ordinarij

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & Consul-  
tissimi

DN.D. CASPARIS ZIEGLERI,

Antecessoris, Curia Electoralis, & Scabinatus  
Assessoris ;

Patroni & Praeceptoris observandissimi ;  
publicè defendendam suscipit

CHRISTIANUS FRIDERICUS JANUS,

Lichtenbergensis  
A. & R.

Oppon.

---

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken, 1662.

26.





VIRIS  
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS &  
PRUDENTISSIMIS  
DN. JOHANNI Vogelhäubten/  
Reipubl. Torgensis Consuli

Ut &  
DN. GEORGIO SCHMIDIO,  
Jcto Practico Reipubl. ejusdem  
Exconsuli.

*Patronis & Promotoribus studiorum  
suorum summoperè colendis*

hoc periculum Juridicum  
sacrum esse vult

Christian. Fridericus Janus,  
A. & R.



C. B. D.

I.



**D**E Jure sui hæredis aliquid dicitur, ante omnia, quam varias & in jure nostro, & apud bonos etiam auctores vocabulum sui sortiatur acceptiones, indagatio opus esse putamus, quo eò feliciter hæc nobis tractatio cedat. Sumitur a. & apud Autores, & in Jure nostro nonnunquam pro iis, qui sui Juris suæque potestatis sunt, quemadmodum meum nominare possum qui mei Juris, tuum qui tui. Hinc etiam puto extensam fuisse hanc loquendi formulam ad illos, qui dolo circumscripti alieni quasi redduntur Juris: ita apud Plautum *Curc. Act. 3.* Meus hinc est, hamum vorat. Ita in *§. 3. Inst. de SCto. Tertull.* filia sua dicitur, quæ sui Juris est, quod præter Mynsing. & alios observavit. *Ludwell. comm. Inst. ad d. §.* & probat ex casu *l. 4. C. ad SCtum Orph.*

II. Qui ex una domo & familia, vel etiam gente prodire, sui etiam nonnunquam dicuntur, *l. un. C. si quacungq. præd. pot. conf. l. 195. §. 2. de V. S.* Ita qui suæ mentis compotes sunt, sui dicuntur, & opponuntur furiosis, qui cum à potestate mentis exierint, à II. describuntur quod non sint sui, *l. 7. §. 9. quibus ex caus. in poss. eatur*, cum nec regere se ipsi possint, sed curatore habeant opus, *tit. ff. de Cur. fur.* Aliter etiam, & pro substrata materia diversimodè sumitur: ita Captivus ad suos redire dicitur, puta populares *l. 5. §. ult. de capt. & postl. rev. §. l. 2. §. 9. d. t.* Paterfamilias à suis custoditur, *l. 14. de Offic. Prat.* intellige domesticis; ita qui per domesticos aliquem retinet, per suos retinet, *l. 1. §. 1. de eo per quem factum erit, quo & c.* & alibi passim.

A 2

III. In

III. In materia cognationis & successio-  
num etiam aliter accipitur, & sui dicuntur omnes cognati, qui vel adscendentes  
sunt, vel descendentes, vel collaterales: ut l. 22. ibi: per suos. C. de  
agric. cens. & col. l. 5. C. ad Sctū Turpill. Franzk. ad l. Gallus disp. 1. m. 1.  
sect. 7. n. 3. Nonnunquam etiam hæredes sui dicuntur, qui vel  
ex testamento vel ab intestato succedunt. l. 6. §. ult. l. 7. de inoffic.  
test.

IV. Nos impræsentiarum specialissimè & merè Juridicè  
hanc vocem accipimus pro illis, qui sunt in potestate patris, &  
obtinent proximum locum à defuncto, quemadmodum acci-  
pitur in §. 2. Inst. de her. qual. & differ. & illi vocantur nunc sui  
hæredes, ut §. 7. Inst. de adopt. §. 1. seq. de her. qua ab intest. & alibi  
passim; interdum sui & necessarii, ut pr. & §. 2. Inst. de her. qual.  
& diff. interdum etiam sui absolutè, ut l. 1. §. 13. pen. & ult. a-  
gnos. & al. lib. Quare nescio quomodo Vacon. à Vacun. sua  
verba defendere possit, quod dixit, non reperiri hoc pronome  
suus, in hoc significari, sine adjectione vocabuli hæredis, sed si-  
mul semper jungi l. 3. declar. 50. n. 16. nisi per ea, quæ d. l. n. u. dixit,  
quod ubicunq; reperiretur suus, ibi vel adesse, vel subintelligi  
deberet vocabulum hæredis, cum suus per se nihil significet, mē-  
tem suam explicasse ipse, intelligatur. In qua acceptione cum  
aliquid tentare fuerimus ausi, veniam ante omnia impetrandā  
censemus, si quando, impare humeris onere debilitati aut mi-  
nùs concinnè, aut enucleatè minus tractaverimus negotium; &  
eruditorum vestigiis insistere imperiti adhuc & ignari.

V. Cum autem illa ipsa qualitas, secundum quam quis  
suus hæres dicitur, novo quidem, & veteribus incognito, ad  
rem tamen exprimendam commodissimo vocabulo dicatur sui-  
tas; quidnam per illam indigetetur, in limine monendum erit;  
de ipsa tamen nominis notatione minùs sumus solliciti; satis  
gnari, probatos nonnunquam Autores, in fingendis voculis ad  
conceptum exprimendum idoneis, nihil non sibi condonasse;  
hinc Tullio nata Lentulitas, Pollioni Patavinitas, & Svetonio di-  
viduitas. Ut autem variè à variis definiatur, suam tamen  
cuique descriptionem relinquimus, & dicimus quod sit.

Jus

Jus hæredis, propter Patriam potestatem, & gradus proximitatem, continuationem domini, necessitatemque successionis post mortem ipso Jure inducens.

VI. Vocabulum Juris, licet alioquin sit ambiguum; hæc tamen accipi pro illo, quod lege tributum est suis hæredibus, notorium esse, & per se facile constare puto. Per illud suitatem, utpotè genus proximum, definiri libuit; autoritate *l. 1. §. pen. de agnosc. & al. lib. l. 13. de inj. rup. & irr. fact. test. §. 2. Inst. de Exher. lib. subnixa.*

VII. Ob tres junctas rationes inventam esse suitatem, *Hillig. lib. 7. c. 2. lit. A ex Loriot.* refert: Rationem naturalem *l. 7. pr. de bon. dam.* Potestatem patriam *l. 12. in fin. qui test. fac. poss. & Paternam familiam, l. 11. de lib. & post.* Ratio autem ista naturalis, cum semper fermè cum p. p. sit conjuncta, & in hac materia non nisi per illam suum consequatur effectum, ejusdemque vinculo soluto parùm operetur; ex hisce requisitis duo tantummodo retinebimus; Patriam potestatem, & gradus proximitatem.

VIII. Et Patria quidem potestas, non aliquo statuto, aut lege; sed ab ipsa natura & ordine generantium ortum habet; secundum quam omne generans generato majus esse dicitur, quia illi debet ortum; ex illa eminentia orta in generatis subjectio; quod hoc illius pars sit atque sic una cum toto res. Per generationem igitur major erit filio Pater, cui ille subjectus esse debet, quia pars ejus, & quidem separata, quare etiam paterni corporis portio, in *l. 22. §. 1. C. de agric. & cens.* dicitur, cui accedit insuper patria potestas civibus Rom. propria, quæ præter alios effectus unam eandemque cum patre personam facit *l. fin. C. de impub. & aliis subst. Vacun. à Vacun. d. l. n. 1. 2.*

IX. Quæ omnia in Jure Civili varia operantur: horum n. intuitu constitutum, ut filius nihil sibi, sed patri acquirat, quicquid acquirat. *l. 79. de acquir. vel omm. her. l. 8. in fin. de his qui sui vel al. jur.* Sic etiam in tantum sibi uniti censentur, ut in alterius persona alterum lædi, offendi, dolore affici, periclitari, jura no-

stra dicant, l. 8. §. ult. quod metus causa: atq; hinc etiam filius noxæ dari prohibetur, §. ult. Inst. de Noxal. act.

X. Ita etiam patre defuncto, ante filii immixtionem, nulla nec datur nec dicitur hæreditas jacens, quæ defunctum repræsentet, nec medium inter mortem patris & sui hæredis existentiam. Hinc non absurdè nonnulli colligunt, debitam liberis hæreditatem nullo statuto tolli posse, cum Jure naturali debeat; diminui tamen posse, & certam ejus substantiam à J.C. definiri, quæ legitima vocatur. Eama., quæ adscendentibus debetur, non Naturali ratione, sed ll. civilium constitutione tantum deberi, & ordine mortalitatis perturbato, l. 15. de in offic. test. quæ etiam ideò luctuosa portio dicitur, l. 28. C. de inoff. test. tristis successio, §. 2. Inst. de Scto Tertull. & c. vid. Goth. ad d. l. 7. de bon. damn.

XI. Hanc etiam ob rationem testamentum, in quo suus præteritus invenitur, ipso jure nullum est; quod Pater filium, in quæ dominiū cōtinuari leges, ex prædicta naturali ratione statuunt, privari prius tali dominio teneatur, antequam aliū cōstituat; quia alias de rebus alienis testari videtur, per *authent. C. de SS. Eccles. Vid. de hisce Gom. tom. 1. var. Res. c. 9. n. 19.* Nam ex ista præcisâ & naturali conjunctione fingebatur filius dominus etiam vivo patre quodammodo esse in, l. 11. de lib. & post. adeoque potius dominium jam acquisitum in ipso continuari, quam novum acquiri. Quare etiam suus dicitur hæres, quasi qui sibi ipsi hæres, s. seipsum sibi successorem habeat, naturalis, proprius & domesticus, ad paternam hæreditatem ab ipsa natura vocatus. *Hillig. d. l. l. M.* Refertur g. hæc vox in forensi suo significato, non ad Patrem, sed filium ipsum, quemadmodum aliquis dicitur ad suam tutelam venire l. 51. de leg. 3.

XII. Quemadmodum enim natura ipsa, quod est totius, provehit in quamlibet ejus partē, veluti videre est in alimentis à corpore sumptis, & humoribus ab arbore, aut alia planta attractis, quomodo illi mirificè in singula membra & alias partes distribuuntur & dispescantur: ita etiam natura ipsa mores, similitudines; parili quoque ratione facultates bonaque paterna trans-

fun-



fundit & continuat. Ideò n. bona paterna naturali ratione liberis deberi dicit *l. c. 7. pr. de bon. damn. l. fin. C. de codicill.* Et ita etiam à familia haud secus ac Paterfamilias, filiusfamilias appellatur. *d. l. ii. de lib. & post. Vac. à Vac. d. l.*

XIII. Sic etiam non aliundè, quam ex P. p. orta illa necessitas, *l. 5. de Condit. & Demonst.* quam J. C. intuitu naturalis conjunctionis & personarum identitatis in filio induxit; adeò ut hæres fiat omninò filiusfamilias, qui suus est, sive velit, sive nolit, *§. 2. Inst. h. t.* Cum enim servum invitum hæredem instituere & nolentem hæreditati obligare Dominus poterat exinde, quod & occidere licebat; quid mirum, si Lex, quem occidere patri permittebat, eundem necessarium heredem patri fecerit, aut permiserit patrem sibi facere. *d. l. ii.*

XIV. Hujus autem necessitatis tres potissimum erant effectus. i. enim tenebatur nolens volens paternam hæreditatem accipere, neq; illam poterat repudiare, quin etiam ignorans obligabatur hæreditati, *§. 3. l. de hæ. qua ab intest. l. 3. C. de Jur. de lib. l. 30. §. 6. de acquir. vel omitt. hæ.* Cum enim oblata tantummodo repudiari possent, *l. i. de success. edict.* Illi autem, qui necessarius est, hæreditas non offerretur; sed à mortè defuncti hæres statim fieret: non minùs poterat hæreditatem vel bona paterna repudiare, quam ipse Pater, dum illa actualiter habebat: Naturalis enim necessitas est, ut quis retineat, quæ non amisit, ne debitor suo facto liberetur. *Hilg. d. l. l. R. & Bb.*

XV. Ex quibus colligitur à nonnullis, quod licet hæreditas alioquin titulo lucrativo quandoque obvenire dicatur, *l. i. per. lucrat. C. de impon. lucrat. descript* in suis tamen hæredibus illam lucro nunquam tribui; sive de commodo ipsorum quærantur, sive de incommodo; cum ex ipsa natura, ratione, & pio parentum voto, non novam acquirant hæreditatem; sed tantummodo bonorum administrationem; *d. l. 7. de bon. damn. l. 7. unde liberi.* Hinc ex Panormitano refert *Först. lib. 2. de success. c. 18. n. 19.* filium de paterna hæreditate, quæ sibi obvenerit, tanquam de lucro, cum nihil de alio lucretur, non teneri solvere decimam Ecclesiæ. Similiter, si Jure municipali statutum sit, ut de hære-

hæreditate certa solvatur pecunia, filios pro paterna hæreditate nihilolvere debere, *Gom. d. l. n. 18.*

XVI. 2. Nullum requirebatur factum hæredis: erant enim hæredes, absq; cretione, aditione & gestione, etiam ante apertas tabulas, *l. pen. §. pen. de bon. lib. l. 3. §. ult. de her. Inst. l. 8. C. de J. delib.* infans quoque absq; autoritate tutoris, & furiosus absq; consensu curatoris, *§. 3. Inst. de hered. quæ ab int.* Et 3. quoque hereditas hujusmodi, ignorantia delata transmittatur, *l. 3. C. de J. delib.* Quæ omnia in favorem patris à J. C. erant introducta, quo ille ignominiosam bonorum venditionem & distractionem subterfugeret, & bona potius liberorum, quam parentis nomine venirent publicè, & creditoribus hoc modo fieret satis. *Vid. Hillig. d. l. l. Bb.*

XVII. Licet enim regulariter hæreditas adita tantum transmittatur, non quidem ut hæreditas, sed ut hæredis aditione quæsitum patrimonium; minimè verò non adita *l. 7. C. de J. delib. l. un. §. 5. & 13. de cad. toll.* Duo tamen excipiuntur casus, quibus etiam nondum adita transmittitur: suitatis & sanguinis. Transmissio sanguinis quidem competit emancipatis respectu patris, omnibus liberis respectu matris: in eo tamen differt à transmissione suitatis, quæ suis tantum competit, ut illi quidem ad liberos & posteros descendentes, hi verò ad quoscunq; indifferenter transmittant. Cum enim sui aditione nulla opus habeant, sed ipso jure à tempore mortis, etiam ignorantes hæredes existisse censeantur, *l. 19. §. 2. de castr. pec. l. 8. C. de suis & leg. l. 9. §. ult. de reb. dub.* unde nec tam testamento scribi, quam gigni hæredes dicuntur apud *Symmach. l. 1. ep. 9.* facile constat, transmissionem illam non quærendam, sed quæsitam hæreditatis esse. Et hinc etiam ad quoscunq; transmittunt: existentia enim aditioni comparatur; uti infra uberius demonstrabitur.

XVIII. Hanc tamen absolutam succedendi necessitatem Prætoris æquitas sustulit; suisque hæredibus beneficio abstinendi succurrit. Præsertim cum omnis successio, & necessitas subeundi onera hæreditaria magis propter spem secuturi ex hæreditate lucri, ab aliis hæredibus suscepta intelligatur, noluit ini-

qvi-

qvioris conditionis esse suos hæredes, qvi alioqvin vi hujus necessitatis creditoribus paternis satisfacere tenebantur etiam de suo; nec enim aliquid proprium aut suum habere intelligebantur, nisi creditoribus paternis prius satisfacissent.

XIX. Accedebat dura ista debitorum conditio, secundum quam creditoribus se nexum dare cogebantur, & hanc quidè planè miserrimam fuisse vel exinde conjicere quis potest, quod in servilem conditionem redacti, omnibus injuriis, contumeliis, libidini deniq; creditorum expositi fuerint: qvò vel ex unico isto Papyri fœneratoris exemplo, & turpi de flagitio appellatione cõstat. Qvæ indignitas cū in populū emanasset, facto concursu, convocatoq; ob hunc tumultum senatu, lata ad populum est lex Papyria, qvæ cautum, ne necerentur debitores, sed bona potiùs eorum, qvam corpus pecuniæ debitæ obnoxia essent. in posterum etiam, qvo pudori famæq; liberorum parceretur, & bona potiùs parentum nomine, qvam liberorum venderentur, *l. 28. de rebus aurb. jud. poss.* atqve sic non paterentur contumeliam distractionis; concessum suis hæredibus, ut ab hæreditate, qvæ illis damnosa futura est, abstinere possint. *§. 1. Inst. b. t. l. 38. l. 57. de acq. her. vid. Fôrst. de success. l. 2 c. 18. n. 49. seqq.*

XX. Ideò verò servis non tributum fuit hoc beneficium, tum, qvò ob inæstimabile donum libertatis, qvæ ob bonorum distractionem illis infertur, ignominiam facilius perferre possint, tum etiam qvò servo, præter venditionem hæreditatis relicta nihil omninò metuendum, siquidem petita bonorum separatione sua facit, qvæ post mortem patroni acquirit. *l. 1. §. fin. de separ. Ludov. comm. Inst. hîc. Ant. Matth. Not. ad Inst. b. t.*

XXI. Gaudent autem hoc beneficio abstentionis, I. Si se non immiscuerint *l. 78. pr. b. t.* Cum enim immixtio in suis hæredibus idem operetur, qvò in extraneis aditio *l. 87. pr. b. t.* sequitur, qvò suus post immixtionem non minus possit abstinere ab hæreditate, cui se immiscuit, qvam extraneus repudiare hæreditatem, qvam adivit, uterqve enim pro hærede se gessit. II. Si nihil dolosè ab hæreditate amoverint, *l. 71. §. 3. & 4. b. t.* De priore casu excipiuntur impuberes, qvibus ob veniam ætatis, etiam

B

post

post immixtionem competit beneficium abstinendi per l. ii. § l. 57. pr. b. r. quod etiam minoribus non denegatur si damnosam hereditatem temerè adierint. d. l. 57. §. 1. l. 7. §. 5. de minor.

XXII. Controvertitur tamen, num etiam tùm impuberibus competat hoc beneficium, si aliquid dolosè ab hereditate amoverint, & volunt nonnulli quod non, quia ætas in delictis non excusat l. 23. pr. de furt. §. sim. inter quos Hillig. d. l. l. V. Faciendum tamen in hoc negotio potius putarim cum Bachov. vol. 2. disput. 12. thes. 3. lit. D. qui hoc nomine Treutler. refutat. Cum n. illius interdicti Prætorij, quod amoventi denegat hoc beneficium, hæc potissimum ratio sit, quod ille, qui amovet, in sui ipsius præjudicium hoc fecisse intelligatur, ac si pro hærede se gesserit & immiscuerit: post immixtionem autem etiam impuberes gaudeant beneficio abstinendi; nec in hoc quidem casu excludendi propterea erunt: in aliis enim hïc dolus commissus non nisi pro immixtione accipitur, nec alia illis poena est constituta. Quæ tamen de amotione dolosa supra in genere diximus, ante declaratam abstentionem exaudienda sunt; secus, si post factam declarationem amoveatur aliquid, tum enim competit actio furti, l. 71. §. ult. ff. de acq. vel omit. hered.

XXIII. Porro hujus abstinentiæ duo sunt casus: alter, ubi suam abstentionem expressis verbis declarat abstinens; alter, ubi non declarat, sed tacet. Enimverò cum beneficium abstinendi à Prætore contra Jus C. sit concessum; suavitatem minimè tollit; sed filius remanet ipso Jure hæres, l. 30. §. 10. de fideic. lib. l. 88. de her. inst. l. 7. §. 10. de minor. Inventa siquidem tantummodo est, ut tollat istam absolutam succedendi necessitatem, secundum quam tenebantur alioquin sui hæredes suscipere hereditatem paternam, utut damnosam sibi futuram, & omnia ejus onera subire cogebantur, l. 12. de vulg. §. pup. subst.; non verò ut tollat suavitatem & effectum hunc J. C. in totum. Nam suum esse, & voluntarium esse secum non pugnant, uti infra dicemus uberius. Ludov. com. Inst. hïc. Frantz. exerc. 6. qu. 10. n. 14.

XXIV. Cum ergo quæritur utrum in prædictis casibus filius hæres per paternum testamentum institutus, beneficioque præto-

prætoris ab hæreditate abstinens, habeatur pro suo, distincti-  
one iterum alia opus habemus: aut enim negotium considera-  
tur respectu ipsius hæredis, aut respectu aliorum. Quando con-  
sideratur respectu ipsius hæredis, distingvendum utrum agatur  
de ejus commodo, an verò de incommodo. Si de ipsius com-  
modo agitur, habeatur pro suo, si tacuit; sed si abstinuit, ipsoq;  
facto suam abstentionem declaravit, minimè: suo enim Juri pe-  
nitus se abdicavit. Si de incommodo, certum quod in priori  
casu non habeatur pro suo; si tamen tacuit, nonnulla in suspèn-  
so manent, quæ aut valere incipiant, aut omne obstringendi  
pondus perdunt, quamprimum externo facto animum declara-  
verit.

XXV. Cum verò respectu aliorum consideratur, quæ, ut  
valeant, hæredem desiderant, nudum etiam nomen, quod reti-  
net suus hæres, abstentione etiam ipso facto declarata, & pro  
totali desitione, & juris desertione accepta, ad producendum  
hunc effectum est efficax. Nam veluti prætor hæredem facere  
non potest, *pr. Inst. de Bon. poss.* ita non potest efficere, ut qui se-  
mel hæres extitit, desinat esse talis *l. 7. §. 10. in fin. de minor. & l.*  
*88. in fin. de her. inst.* Non enim est sine hærede, qui suum habet  
hæredem, licet se abstinens *l. 30. §. 10. de fideic. lib. l. 1. §. 6. si quis*  
*omiss. causa. test.* Si quidem ipsa sui hæredis existentia, vera ni-  
hilominus J. Civili manet, licet J. Prætorio aliquis abstineat, &  
quippe in hoc negotio, existentia etiam nuda, comparatur a-  
ditioni, quæ aliòquin immixtioni respondet. *vid. Bachov. d. l. l.*  
*A. ibi: alter circa effectum.* Quam existentia veritatem in to-  
tum irritam reddere Prætor non potest.

XXVI. Confirmantur ergo per nudum istud nomen li-  
bertates testamento data, *l. 32. de man. test. & Tutela, l. 7. de test. tut.*  
& Tabulæ etiam Pupillares. Nec est quod objici possit, ita  
suum hæredem, nunquam posse habere substitutum Vulgarem,  
utpote qui per aditionem, cui æquipollet existentia, semper  
excluditur. Nam respondemus, quod, qui habet substitutum  
vulgarem ex necessario sit voluntarius; adeoque necessario hic  
immixtione opus habet, quia ibi testator hæredem cum effectu

habere voluit; (de quo plura dicendi infra dabitur occasio,) quod secus est in alio; qui enim habet pupillarem substitutum manet necessarius, atque sic nuda ei existentia sufficit, & ut concedatur patrem de hærede cum effectu cogitasse; ratio tamen Juris, juncto favore pupilli facit, ut, quoad istum effectum, existentia pro aditione habeatur.

XXVII. Interim probè notandum, num pupillus in solidum & ex asse hæres sit institutus, & alius ei substitutus, nū verò habeat cohæredem. Si ex asse hæres est institutus, vera sunt quæ diximus, quia tunc vires testamenti in totum ab eo pendent. Si verò cohæredem habeat, dispiciendum, num sit extraneus, num itidem suus. Si suus & ei substitutus, tabulæ testamenti firmæ manent, etiam hoc abstinente; quia testator à dispositione legis non recessit, nam unusquisq; à tempore mortis exitit hæres. At si cohæres ille & substitutus sit extraneus; sufficit quidem existentia in illis quæ extrinsecè adveniunt, ut puta transmissione & aliis; non verò sufficit circa ea, quæ pendent ex testamento. Nam cum à cohærede extraneo etiam vires testamenti pro parte pendeant, pupillus verò propter personam cohæredis in solidum existere non potest, nuda existentia valere non poterit; quia sic testamentum pro parte valeret, pro parte non valeret, quod absurdum; siquidem una parte nō valente, totū erit invalidum; & sic tabulæ pupillares corruunt.

XXIIX. Sed & ulterius distinguendum, num is, cui substituitur, sit institutus; an exhæredatus. Non enim requiritur ad substitutionem pupillarem, ut is, cui substituitur, sit institutus; sed illud tantummodo ut aliquis hæres sit testamento scriptus, *l. 1. §. 3. de Vulg. & Pupill. subst.* Exhæredatis itaque etiam substituere pater poterit, vi potestatis; ita ut, quicquid exhæredato pupillo, ex aliorum hæreditatibus legatisve aut donationibus acquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertineat, *§. 4. de pup. subst.* De Instituto itaque hætenus fuit dictum: de Exhæredato iterum quæritur, num institutus hæres sit suus, num verò extraneus; si suus, existentia sufficit; si extraneus, aditione opus erit. Nam cum suus hæres ab hæreditate remotus  
pla-

planè sit per exheredationem, illius Jus sustentate testamentū non poterit, quod hæreditatis respectu, ipso Jure continuandæ ablatum sit: *arg. l. i. §. pen. de suis & leg. Franzk. Exerc. 6. q. 8. Bavov. d. l.*

XXIX. Actum igitur hæctenus de primo suitatis requisito; sequitur alterum, quod est gradus proximitas. Licet n. omnis, qui est suus heres, necessariò etiam in p. p. sit, non tamen, quisquis est in p. p. est suus hæres. Nam velut ad ædis exstructionem plures præter fundamentum requiruntur partes, videlicet tectum & paries, quarum una ablata cessat esse, quod fuit, ædificium: ita etiam hîc, uno sublato suitatis requisito, labascit & prosternitur tota illa moles, ut adedò ad ejus constitutionem fundamentum non sufficiat; uti non ineptè philosophatur *Vacon. à Vacun.*

XXX. Est autem hujusmodi gradus proximitas nihil aliud quam proximus in agnatione locus, & hunc non nisi ille obtinet, quem nemo in familia paterna gradu præcedit. Adeoque nepos neptisve, licet in potestate Avi sint, non tamen Avo sui hæredes esse possunt, cum aliquem habeant gradu præcedentem. *l. 13. de inj. rupt. & irr. fact. test. l. 6. pr. eod. l. 33. §. 1. de test. mil. §. 2. Inst. de Exher. lib.* Huc faciunt ergo notatu digna illa *Baldi* verba in *l. fin. C. unde lib. qua citat Franzk. exere. 8. q. 8. §. 2. n. 15.* Jus suitatis ita nobile esse, ut nec subalternari, & ita directum, ut nec utile effici possit.

XXXI. Residet ergo tantum in linea descendantium, neque in ipsâ eâ ad ulteriores transit, nisi vel mortè, vel emancipatione alter de medio sit sublatus. Tum enim in locum ejus succedit, quem gradu præcedebat ille. Et ita nepos, si Pater suus esse desierit, ex lege *Velleja* in locum ejus succedit, *l. Gallus. 29. §. 14. de lib. & post. §. 6. Inst. de her. qua ab intest.* atque ejus personam repræsentat. Jure tamen alieno succedit, non suo. Quod vel inde cõtra *Förster. l. 4. de success. c. 20. n. 8.* probari potest; quia si jure suo succederet, succederent in capita; nõ in stirpes, cõtra expressum textũ, *§. 6. Inst. de her. qua ab int.* Nõ tamè hæc trahendum edictum successorium, in suis enim successio-

nulla, l. 1. §. 2. de suis & leg. ne quidem Jure Novo; licet emanci-  
patis (quoad successionem ipsam, non verò quoad modum  
succedendi) sint exzquati, de quo infra plur. vid. Franzk. Exerc.  
8. quest. 2. n. 11. & 14. it. quest. 7. n. 7. 8. 9. Gom. d. l. n. 8.

XXXII. Tertium addunt requisitum *Vacon. à Vacun. l. 3. de-  
clar. Jur. 50. n. 6. & Hillig. in Don. Enucl. d. l. lit. D.* Actualem sc. ad  
hæreditatem perventionem ejusdemque adeptionem. Quod  
tamen nos ab hoc negotio separandum potiùs arbitramur. Li-  
cet enim hæreditas unica supersit post mortem, in qua suicitatis  
effectus esse possit; non tamen sequitur, illa ablata tolli etiam  
suicitatem: siquidem ab effectu minimè dependet causæ existen-  
tia; alioquin nunquam abstinentis suus hæres post declaratam  
abstentionem maneret, contra cit. text. l. 30. §. 10. de fideic. lib. Ve-  
rum quidem est, ut plurimum illum dici heredem, qui cum  
effectu rem habet; haud rarò tamen etiam illum ita nominari,  
qui nomine talis est, l. 6. §. 2. de bon. libert. & alii textus probant.

XXXIII. Distingvunt hïc nonnulli inter suicitatem agnati-  
onis & successionis. *Riem. dec. 6. quæst. 4. Bach. Vol. 2. disp. 12. th. 2. l.  
B. in fin.* Verumenimverò, si verum fateri liceat, hanc distincti-  
onem, quippe nullo reali fundamento innixam, probare hæc-  
tenus non possumus.

XXXIV. Ex hæcenus dictis satis superque constare pu-  
tamus, quid sit suicitas & quidnam ad illam constituendam re-  
quiratur: descendendum porrò erit ad illos casus, qui ab hoc  
negotio excipiuntur & respectu jam dictorum quodammodo  
sunt irregulares.

XXXV. Talis est in l. fin. C. de Cons. ubi Viri excelsi, Patricii  
illicò à paterna potestate liberari dicuntur; ne videantur, ait  
Imperator, qui à nobis loco patris honorantur, alieno Juri es-  
se subjecti & in Nov. 123. c. 4. ubi Episcopus ex ipsa ordinatione  
sue potestatis fieri, dicitur; quod ipsum confirmat Nov. 81. c. 1. &  
3. ubi itidem dicitur, quod omnis dignitas, & omne cingulum  
à curia liberare valens, hoc etiam suæ potestatis præmium ho-  
noratis præstet. Cum tamen c. 2. ejusdem Nov. constitutum repe-  
riatur; eos non perdere aliquod legitimorum Jus; sed sint &  
gene-



generi ad eos, & ipsis ad genus intacta legitima & ex natura  
servata Jura. Verum cum præcipuum quoddam præmium, im-  
perium conferre suis potestatibus *d. c.* dicatur; facile constabit  
hanc à P. p. liberationem ea tantummodo fini institutam esse,  
ne in hujusmodi dignitatibus constitutis, aut oneri esse, aut,  
incommodo poterit; quare ejus ratio non habetur quando de  
illorum detrimento aut incommodo agitur. Non enim hoc, ob  
dignitatem collatum, beneficium, aliquid legitimi Juris aut e-  
molumentum imminuere censetur, quod alioquin filius familias  
haberet. *Gom. d. l. n. 11. & 13. Matth. Steph. Nov. 81. n. 1. Först. de suc-  
cess. l. 2. c. 18. n. 30. 31.*

XXXVI. Pari modo obstat *l. 56. S. 1. C. de Episc. & Cler.* ubi  
filio qui sanctimoniam conversationem inire vult, nullo im-  
pedimento ei talis conversatio & vita solitaria electa esse debe-  
at, quò minus sive solo, sive cum aliis ad successionem voce-  
tur; cum tamen eum à p. p. solutum esse, & probat *gl. in l. 9. S. 4.  
de min.* & vel exinde probari possit, quod cum non liceat pa-  
rentibus quocunque modo abstrahere, quod alioquin liceret, si  
in potestate maneret, *arg. d. S. 1.* Sed huc trahenda antea data  
responsio: cum enim beneficium sit & privilegium religionis,  
non debet detorqueri in damnum ejus, cui concessum: *Gom.  
d. l.*

XXXVII. Sed quid dicendum erit de posthumi qui su-  
dicuntur hæredes, *S. 2. Inst. de her. qua ab int. l. 13. l. 6. per tot. de  
inj. rup. & irr. f. test.* cum tamen in P. p. non dici possunt fuisse *per  
l. fin. de Coll. bon. l. fin. S. 1. de Assign. lib.* Notandum tamen ante o-  
mnia, nos impræsentiarum vocabulū Posthumi non improprie  
sumi de iis, qui post testamentum factum, vivo patre vel avo  
nascuntur; quæ acceptio Juridica dicitur, quod non nisi juri-  
dica consideratione ita dicantur, respectu successorum defe-  
rendarum: *Franzk. ad l. Gall. disp. 1. m. 1. sect. 2. per tot. & f. 4. n. 9.* sed  
proprie de iis, qui ante mortem patris concepti, post mortem  
ejus nascuntur. Respondendum ergo ad quæstionem: non  
quidem esse suos, posthumos, sed fieri agnascendo. Nam  
cum alioquin, qui in utero est, pro jam nato habetur; *per l. 7.  
de*



*de Stat. hom.* contentur etiam illi in P. p. fuisse : licet tantummodo fuerint in potentia tales. Nam & per istam potentiam illos pro suis haberi, *probat d. §. 2. Inst. vid. Gom. d. l. n. 14. Franzk. d. l. f. 4. n. 12. 13.*

XXXVIII. Deveniendum porrò ad illa, quæ de emancipatis Dd. disputant. Notum autem J. Veteri emancipatos suos non esse. Cum enim antiquissima successio liberorum ex L. XII. tab. §. 1. *Inst. de her. ab int.* tantum agnationis Juri merè civili innitatur, emancipatos eo ipso exclusos fuisse in propatulo est, cum in P. p. esse desierint; & quia capite minuti familiam mutaverunt, nec agnati sunt *l. 7. de cap. min. l. 5. unde cogn.* Et licet Prætor, Naturali æquitate motus §. 9. *Inst. de her. ab int.* ipsis succurrat, cum per emancipationem sui quidem esse desinerent, non tamen filii *arg. §. 3. Inst. de leg. agn. tut.* & ad bonorum possessionem, ac si in patris potestate permansissent, *d. §. 9. illos admittat. pr. Inst. de bon. poss. l. 6. §. 1. d. r.* non tamen eo ipso sui hæredes efficiuntur; sed tantum bonorum possessores, per *d. pr.* Sed cum de Jure novo agnationis, cognationisq; differentia, quantum ad successionem ipsam penitus sit sublata, *Nov. 118. c. 4.* disceptari cepit inter Dd. utrum emancipati verè sint sui, adeò ut omnis differentia inter suos & emancipatos sit sublata?

XXXIX. Negativam impræsentiarum cum *Franzk. ad l. Gall. disp. 3. m. 2. f. 6. & Exerc. 8. quest. 1.* tueri placet. Siquidem sublata tantummodo est differentia illa quoad successionem ipsam, & in tm. sunt exæquati suis emancipati, quod cum olim de J. C. sui, tanquam agnati; emancipati de J. Præt. tanquam cognati succederent; nunc emancipati non minùs ac sui, legitimi hæredes sint, & de J. C. utrique ad hæreditatem admittantur. Adeò ut non amplius ad agnationem; sed ad sanguinis & propinquitatis rationem sit respiciendum, quam agnati cum cognatis communem habent. Quo ipso tamen nondum in totum sunt exæquati, ut sui sint emancipati, & emancipati sui; sed remanet adhuc differentia aliqua, quæ suos & emancipatos ab invicem discriminat. Non enim alio modo sublatam esse differentiam

ex suitate & emancipatione ortam censendum, quam eo, quo sublata est differentia agnationis & cognationis ex descendens per masculos & foeminas orta; nempe quoad ipsam successionem, non quoad modum succedendi.

XI. Nec est quod objiciant; eo modo exaequationem istam ad emancipatos non spectare; si non verè suus sit effectus: quod filius in potestate per L. XII. tab. non ut agnatus; sed ut suus vocetur. Ad illud n. respondet *Franzk. ad l. Gal. d. l.* ideò suum contradistingvi agnatis; non quod suus agnatus non sit; sed quia specialius est nomen sui quam agnati, illud etiam, tanquam magis usitatum, & in hac materia receptum, L. XII. tab. retinuit, quo ceteris agnatis, qui sui haeredes nec sunt, nec fieri possunt, eo meliùs opponi possit. *vid. cit. Franzk.* Intactus ergo permansit modus succedendi, quo differunt invicem. Sui enim ipso Jure succedunt, emancipati non nisi aditione; illi sunt necessarii, hi voluntarii: illi post abstentionem manent haeredes, hi post repudiationem non item.

XLI. Hac etiam occasione de adoptivis aliquid erit adjiciendum, utrum & illi sui haeredes revera sint. Quod ipsum quidem de J. antiquo concedendum erit, secundum quod adoptati in patris adoptivi potestatem transferunt, per *pr. Inst. de adopt. l. 1. ff. eod. l. 8. pr. de in J. voc. §. 4. Inst. de Exh. lib.* Neque de illis inficias imus, qui ab aliquo ascendente adoptantur, cum & illi in ejus potestatem transeant, quia videlicet & naturalia & adoptionis Jura in unam personam concurrant, §. 2. *Inst. de adopt. §. 14. Inst. de Her. quæ ab int.* Sed utrum adoptati ab extraneo, sui haeredes sint adoptanti, cum J. N. per hujusmodi adoptionem jura naturalis patris minimè dissolvantur, *d. §. Inst. b. t.* in controversiam deducitur. Quod quidem exinde nonnulli affirmare audent, quod in *l. pen. §. 1. pers. & ideò sancimus. C. de adopt. & d. §. 2. Inst. eod.* dicantur habere Jus sui haeredis & successionis ab intestato. Sed ex ipso textu patet quid respondendum: in *d. l.* enim dicitur, quod habeant hoc Jus ad ejus tantummodo successionem. Ergo non plenè habet suitatatem; quæ si haberent, necessario etiam in testamento aut haeredes instituen-

C

di

di aut exhæredandi essent, *contr. d. l. pen. §. 1. C. de Adopt. vid. omnino Dn. Schrôt. tr. de Suitate c. 4. Gom. d. l. n. 12. Franzk. Exerc. 8. quest. 6. n. 3.*

XLII. Antequam ad alia progrediamur, sciendum etiam quænam sint suorum hæredum privilegia & immunitates, quibus præ aliis gaudent, & ab aliis discernuntur. Est autem primum abstentionis revocatio; etiamsi illam facto declaraverint, *per text. expr. in l. fin. C. de repud. her.* quæ tamen intra tres annos fieri debet, bonis post abstentionem nondum alienatis. Si tamen ista alienatio facta sit eo in minore ætate constituto, gaudet restitutions in integrum. *Gom. d. l. n. 31. Zoës. comm. ad. ff. b. r. n. 69.*

XLIII. Alterum est transmissio ad quoscunque ex potentia suæ; de qua jam antea dictum. Cui tamen obstat *l. un. C. de his qui ant. ap. tab.* ubi liberi hæreditatem matris non aditam transmittunt. Ergo etiam emancipati & extranei transmittent, qui ita se habent respectu Patris quomodo omnes liberi respectu matris. Sed respondendum; ex benignitate illud quidem admissum; manente tamen adhuc illa differentia; ut non indistinctè ad omnes, ut sui; sed ad descendentes tantum transmittant. *Franzk. exerc. 8. quest. 1. n. 19. & exerc. 6. quest. ult. n. 17.* Ad eundem etiam modum revocatio abstentionis, quæ suis aliquin propria est, in hæreditatis maternæ repudiatione, ex benignitate legum admittitur; ita tamen ut intra annum fiat. *l. 6. in fin. ad Sct. Tertull.*

XLIV. Et tantum de hisce sufficiat. Restat, ut coronidis loco aliquid adjiciamus de illis, quibus suitas tollitur. Tollit autem illam mors naturalis filii, §. 2. *Inst. de her. que ab int. & capitis deminutio, l. 1. §. 4. de suis & leg.*

XLV. Num per exhæredationem tollatur; variè apud Autores controvertitur. Nos negativam tuebimur; & dicemus, filium exhæredatum, probata etiam exhæredationis causa, & bonis paternis actu ad alium translatis, manere nihilominus suum hæredem. Non quidem ex eo, quod putemus cum *Hoën. disput. 10. c. 2. Gv. Först. Justinian. Tract. l. 2. disp. 13. thes. 30.* hoc ipsum efficere Jus sacrorum quod retinet. *l. 6. pr.*

*pr. de relig. & sumptib. fun.* cum illud etiam retineat emancipatus, per *d. l. neque* quod possit ipsi substitui pupillariter. §. 4. *Inst. de Pupill. subst. l. 10. §. 5. de Vulg. subst.* substituitur enim etiam nepoti, vivo adhuc patre, *l. 2. pr. b. t.* Sed quod sciamus, auctoritatem perventionem ad hereditatem non requiri ad constitutionem suicitatis. Licet enim adeptio hereditatis aliquis suicitatis effectus sit; non tamen cessante effectu cessat causa; uti supra demonstravimus. Adde quod tutor ipsi dari potest §. 4. *Inst. de test. tut.* qui non nisi suis datur. *l. 73 §. 1. de R. J. vid. c. Gu. Forst. d. l.* Atque sic nulla distinctione inter Exheredatum vivo patre & mortuo patre consideratum, opus impræsentiarum erit.

XLVI. Neque nobis obstat §. 5. *Inst. de Her. ab int.* Ibi enim non sermo est de Exheredato; sed de eo cuius Pater reus perduellionis iudicatus est, & ejus memoria damnata: neque ideo filius dicitur desinere suus hæres, quod bona ipsi fuerint adempta; sed quod pater desinat illum habere in potestate, quia capite minutus est & servus poenæ efficitur.

XLVII. Quod ipsum etiam de Vulgari substitutione cordatè asseremus, iudicio Corasii, *misc. lib. 1. c. 2. n. 1.* qui nullam opinionem in hac materia tuto defendi posse scribit, minimè deterriti. Secuti verò Bachovium *vol. 2. disp. 11. thes. 7. l. D. E. & Franzk. Exerc. 6. quest. 8. n. 8.* dicimus per vulgarem substitutionem tolli quidem necessitatem in filio, minimè tamen suicitatem, sed manere suum, quamvis reddatur voluntarius. Nam cum in gratiam patris introducta sit ista necessitas succedendi, per huiusmodi substitutionem juri suo renunciat pater, atque sic efficit, ut J. C. filius sit voluntarius, qui alioquin ad hanc necessitatem solvendam, à Jure Prætorio introducto, beneficio abstinendi habebat opus.

XLVIII. Cum enim omnes substitutiones ideo à ll. sint inventæ, ne testantium iudicia irrita fiant, neve testator sine hærede decedat, è cuius re maximè est habere testamentarium hæredem, si omninò testatus decedere velit. *vid. Ant. Math. not. ad Inst. b. t.* hæc testatoris provisio, ut in favorem ipsius, de hærede sibi prospicere volentis; ita etiam in filii commodum

est referenda, ad cuius utilitatem semper eum respexisse credendum est, *l. 50. §. 1. de bon. libert. l. 22. §. ult. ad l. Jul. de adult.* Sed sinitate sublata, filius, quæ sinitati coherent omnia commoda perderet, atque sic maximo afficeretur damno; quale genus testandi nemo elegisse credendus, *l. 3. de test. mil.*

XLIX. Et quod pupillari substitutione non tollatur antea probatum, cum & necessarius maneat. Jam verò vulgaris tacita sub pupillari expressa comprehenditur; quia cum voluerit testator & sua & pupilli bona ad substitutum pertinere, *l. 10. §. 5. de Vulg. subst. l. 7. §. ult. de acquir. vel omitt. her.* præsumitur etiam, & verisimile est voluisse sua bona, abstinente pupillo ad illum pertinere. *arg. l. 57. §. 1. ad SCt. Trebell.* Ergo minimè dici potest, quod sinitas per hanc tollatur, cum per expressam alteram ne quidem necessitas tollatur. *Fränzk. Exerc. 6. q. 6. n. 4.*

L. Accedit quod beneficium abstinendi competat impuberi post immixtionem etiam si habeat vulgarem substitutum: quod tamen non nisi suis competit per *supra cit. l. 11. l. 57. pr. de acquir. her.* Et denique etiam qui habet substitutum vulgarem, ante apertas tabulas & aditam etiam hæreditatem, transmittit eandem ad quoscunque ex potentia sinitatis, *l. un. C. de his qui ant. ap. l. un. §. 5. de cad. toll.* quod facere non posset si sinitas ab ipso esset sublata.

LI. Quare necquicquam movebimur argumentis adversariorum: cum illi, qua ratione nescio, hoc semper falsò sibi persuasum habeant, voluntarium hæredem suo hæredi esse contrarium: & tamen necesse est ut concedant abstantem voluntarium effici, & suum nihilominus manere. Nec est quod objiciant *l. 8. §. 9. de inoff. test. l. 16. de lib. & post.* patet enim ex ipso textu, quod prior loquatur de emancipato; alter de suo qui propter incertum eventum posthumi nascituri, impeditur esse hæres.

LII. Neque movet quod objiciunt, hoc modo non posse esse locum substitutioni vulgari in suo, nisi prius sublata sit sinitas: si enim retinet sinitatem, etiam manebit suus hæres, cuius etiam existentia sufficit. Sciendum enim, quod antea dictum,

ctum,

ctum, hæredem quidem sæpius dici illum, qui cum effectu rem  
habet; nonnunquam etiam eum, qui nomine hæres est. *c. l. 6.*  
*§. 2. de bon. libert.* Talis verò esse debet, qui habet substitutum;  
abstentione enim locum facit substituto, velut extraneus re-  
pudiatione, cum hic testator hæredem cum effectu habere vo-  
luit.

LIII. Aliud interim volunt Neoterici nonnulli, inter  
quos est *Ant. Fab. dec. 32. err. pragm. 6. Ludw. exerc. 8. thes. 4. lit. c.* qui  
ne voluntarium quidem effici suum per dationem substituti  
vulgaris, sed manere nihilominus necessarium putant; 1. Quod  
verba Institutionis sint imperativa, hæres esto. Si autè imperat  
pater filio ut sit hæres, minimè illi concedit facultatem abstinē-  
di ab hæreditate, aut immiscendi sese. Quod etiam 2. decla-  
rant ista verba, si volet, non in institutione, sed in substituti-  
one demum posita. Quæ 3. illud evincunt, locutum ita esse  
patrem, qui filium antea purè instituit, non ut ei daret ele-  
ctionem aut abstinendi aut immiscendi; sed potius ut contra  
injuriam filii, metu venditionis bonorum supremam patris  
voluntatem destituentis, sibi prospiceret.

LIV. Sed ista omnia nos nondum divertunt. Licet enim  
verba institutionis sint Imperativa verba; inde tamen non pro-  
batur quod debebat; cum illa vis imperandi, per verba subse-  
quentia pereat. Neque interest, num verba illa sint substituti-  
oni demum adjecta, an verò institutioni: dummodo sint suffi-  
cientia ad declarandam mentem testatoris: & licet sint in sub-  
stitutione posita, quia tamen substitutum non respiciunt; sed  
institutum, ad illum etiam sunt referenda. *Bachov. d. l.*

LV. Patrem per substitutionem vulgarem adversus filii  
injuriam sibi prospicere velle, ll. contrariatur: non enim quis-  
quam creditur tale genus testandi elegisse, quo suum aut filii  
damnum graviter lædatur. *d. l. 3. de test. mil.* Videtur tamen hoc  
argumento respexisse ad ea, quæ habet *Vacón. à Vacun. d. l. n. 10.*  
Ubi tradit, inventam esse Vulgarem substitutionem à vulgo, eo  
tempore, quo Lex Papia de caducis tollendis fuit introducta;  
& hac quidem fini, ne ab eis relicta efficerentur caduca, & sic

in ararium reducerentur: quod etiam probat per l. 1. C. de cad.  
coll. Non autem video quomodo exinde Antonius Faber, quod  
intendit, probare possit. Quia ibi ne litera quidem habetur,  
qua probari possit, inventam esse substitutionem vulgarem i-  
deo, ut sibi prospiceret pater de injuria filii bona deserentis:  
sed ideo, ne caduca fierent relicta.

LVI. His itaque discussis, nihil planè difficultatis resta-  
bit, in decidenda illa questione, utrum conditio, institutioni  
adjecta, tollat suavitatem in herede; cum antea probatum de-  
derimus, ne quidem per exheredationem, & hereditatis ad  
alium translationem auferri suavitatem. Non autem impræsen-  
tiarum disquiritur, sub quam conditione institui suus pos-  
set; constat n. quod sub nulla alia nisi sub potestativa: ubi vi-  
deri potest *Disput. Magnif. Dn. Pras de Condit. res. 51. 52. 53. & 54. &*  
*quem citat Franzk. ad l. Gall. disp. 5. m. 1. s. 2 n. 29. 30. seqq.* Sed  
tantummodo utrum aliqua conditio heredem in conditionem  
extranei redigere possit. Ubi negativam tuemur; volunta-  
rium quidem effici non negantes. Nam illa conditio, sub qua  
institui potest, nil aliud facit, quam ut actum reddat impurum,  
qui alioquin purus esset. Cui si paruit filius, Jus abstinendi non  
habet, ipso enim facto partitionis pro herede se gessisse intelli-  
gitur; si nondum paruit, in ejus arbitrio est, aut implere illam,  
aut non implere; quo casu necessitas tantummodo ipsi sublata  
est; si non paret, pro abstinentem habetur, quem qui habet, hæ-  
redem habere, sæpius dictum. *Vid. Bachov. vol. 2. disp. 12. t. 3.*  
*l. B.* Adde quod filius sub conditione potestativa institutus, si il-  
la ultimo vitæ halitu impleri non potest, deficiente testamento,  
transmittat hereditatem, patremque faciat intestatum, *l. 5. de*  
*her. inst. vid. d. disp. Magnif. Dn. Pras. d. l.*

Et tantum de hac materia dictum sufficiat; quam tamen  
non pro materia dignitate; sed ingenii tenuitate & temporis  
penuriâ æstimandam Lectori benevolo exhibe-

mus.

1773



ad.  
od  
r  
i-  
s:  
ta-  
ni  
le-  
ad  
n-  
os-  
vi-  
G  
ed  
em  
ta-  
ua  
m,  
on  
li-  
m,  
ta  
æ-  
3.  
il-  
o,  
de  
en.  
ris



23

16  
99








ULB Halle  
005 122 49X

3



V. 17







1320.

Q. R. B. V.  
De

36  
4662 180  
20

# SUITATE,

Disputationem Juridicam  
Consensu Nobilissimi & Amplissimi Actorum Ordinis  
in Illustri Academia Wittebergensi

SUB PRÆSIDIO

Magnifici Dn. Ordinarij

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi & Consulo  
tissimi

DN.D. CASPARIS ZIEGLERI,

Antecessoris, Curia Electoralis, & Scabinatus  
Assessoris ;

Patroni & Praeceptoris observandissimi ;  
publicè defendendam suscipit

CHRISTIANUS FRIDERICUS JANUS,

Lichtenbergensis  
A. & R.

Oppon.

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken, 1662.

26.

